



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

S. Cyprianus in libro de Mortalitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

S. Augustinus lib. 1. de Trinitate.

*Nec pigebit me, sicuti hæsito, querere: nec pudebit, sicuti erro, discere. Proinde, quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit mecum: ubi hæsitat, querat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, reuocet me.*

S. Cyprianus in libro de Mortalitate.

Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, id est, multi ex nostris de sæculo liberantur. Mortalitas ista ut Iudeis & Gentilibus & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est. inprouidi & ingrati sumus fratres dilectissimi ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria sua virgines venientis Anti-christi minas & corruptelas & lupanaria non timentes. Pueri periculum lubricè ætatis euadunt, ad continentia atque innocètia præmium feliciter perueniunt. tormenta iam non timet delicata matrona, metum persecutionis & manus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lucrata. Paucore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant, gentiles coguntur ut credant. Sed fortassis aliquis obponat & dicat: Hoc me ergo in præfenti mortalitate contristat quod qui paratus ad confessionem fueram & ad tolerantiam passionis toto me corde & plena virtute deuoueram, martyrio meo priuorum morte præuenior. Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere.